A. Or.
4510.

A. or. 4510
(1)

Kaccâyanappakaraṇa

A. or. 4510

KACCÂYANAPPAKARAṆAE SPECIMEN.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE X. M. JUNII A. MDCCCLXIX. HORA XI.

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

PUBLICE DEFENDET

ERNESTUS KUHN

MARCHICUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:

GUILELMUS SCHRÖDER, CAND. PHIL.

RUDOLFUS MÄNNEL, CAND. PHIL.

HALIS SAXONUM.

A

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

ADOLFO BASTIAN

VIRO DOCTISSIMO ATQUE HUMANISSIMO

PIO GRATOQUE ANIMO

EDITOR.

Antiquissimam linguae Pâlicae grammaticam quae communi Buddhistarum meridionalium traditione Mahâkaccâyanae Sâriputtae Buddhae ipsius discipulo attribuitur jam invidia temporum deletam esse Turnourius in prooemio ad Mahâvaṃsam (anno 1837) prodiderat vigebatque haec opinio inter omnes qui linguae Pâlicae operam dederunt, donec primum per Franciscum Mason (Journ. of the Americ. Orient. Soc. IV, 107 anno 1854), tum per Paulum Grimblot (Ind. Stud. V, 450 sq. anno 1862) innotuit hanc grammaticam revera superesse cum in Barmanorum regno tum in insula Taprobane. Et profecto jam anno insequente 1863 sextum hujus operis librum prooemio atque notis instructum in urbe Colombo edidit James d'Alwis ipsa illa insula oriundus, linguarum et Sinhalensis et Pâlicae maxime peritus. De summa eorum quae ibi statuta sunt optime egit Albrechtus Weber in Zeitschr. d. deutsch. morgenl. Gesellsch. XIX, 649 sqq. Maxima hujus grammaticae inter populos illos auctoritate nec non ratione satis notabili qua cum linguae Sanskritae grammaticis et inprimis cum schola Pâṇinea conjuncta est equidem commotus adii Adolfum Bastian Indicopleusten, sperans fore ut ex codicibus manuscriptis quos ille e Siamensium regno in Europam attulerat accuratior mihi exsisteret hujus operis cognitio. Neque spes me fefellit. Vir enim doctissimus pro sua erga omnes qui eum adeunt benevolentia codicum usum liberaliter mihi concessit, ut quam plurimos fructus ex iis perciperem. Elegi autem quem ederem scholiis et explicationibus Saṃghanandinis, Brahmadattae atque Vimalabuddhis (cf. d'Alwisium p. 104) instructum librum tertium, qui est de „kârakis" atque de casuum constructione. Ipsi autem textui primum, ipsarum regularum ordinem secutus, epitomen praemittam

rerum quae in hoc libro exponuntur summam continentem, cum versione textum ad verbum sequente supersederi posse videatur; tum nonnulla proferam etiam pro mea parte de operis auctore et origine.

1. Unde abitur vel unde metus exsistit vel unde quid sumitur, id apâdâna (demptio) vocatur: gâmâ apenti munayo e vico abeunt anachoretae etc.

2. Varia enumerantur apâdânae exempla:

cum radicibus: in constructione cum radice ji+parâ qui non superatur, is apâdânae exemplum praebet: buddhasmâ parâjenti aññatitthiyâ Buddhae cedunt alii haeretici; in constructione cum radice bhû+pa unde ipsa origo est, is demptionis exemplum praebet: himavatâ pabhavanti pañca mahânadiyo ex Emodo proveniunt quinque illi magni fluvii.

cum nominibus: urasmâ jâto putto e pectore natus filius.

cum praepositionibus: apa sâlâya âyanti bâṇijâ e receptaculo adveniunt mercatores.

Hisce adduntur a Vimalabuddhe alia ablativi i. e. apâdânae exempla quae vocabulis âdi, api, ca in regula positis indicata esse dicit: a) ablativus in constructione cui kârakamajjha nomen est (vide Böhtlingkii annotationem ad Pâṇ. II, 3, 7): pakkhasmâ vijjhati migaṃ dimidio mensis praeterito feram venatur. kosâ vijjhati kuñjaraṃ clamoris intervallo distans elephantum ferit. b) ablativus (sed etiam accusativus atque instrumentalis) cum particulis (i. e. cum praepositionibus quae impropriae dicuntur): rite saddhammâ (rite saddhammaṃ, rite saddhammena) kuto sukhaṃ labhati nisi e bona lege unde felicitatem petat. te bhikkhû nânâ kulâ (kulaṃ, kulena) pabbajitâ illi familia derelicta[1]) monachorum ordinem amplexi sunt. c) ablativus in aliis quoque constructionibus: yato (= yasmâ) 'haṃ bhagini ariyâya jâtiyâ jâto nâbhijânâmi saṃcicca pâṇaṃ

[1]) Voci nânâ etiam a grammaticis sanskritis (Pâṇ. II, 3, 32) notio vocabuli „sine" attribuitur, quae apud alios auctores nondum inventa esse videtur.

jîvitâ voropetuṃ quia ego, o soror, nobili gente oriundus non permitto ullum animal de industria vita privari etc.

3 et 4. A quo arcere vis, a quo conspici non vis, ii quoque apâdânae exempla praebent: kâke rakkhanti taṇḍulâ cornices ab oryza arcent. upajjhâyâ antaradhâyati sisso a magistro occultat se discipulus.

5. Alia apâdânae exempla:

in constructione cum vocabulo dûra aliisque ejusdem significationis: kîvadûro ito naḷakâragâmo aliquantulum distat ab hoc loco mattariorum vicus. ârakâ te moghapurisâ imasmâ dhammavinayâ (sed etiam: imaṃ dhammavinayaṃ, anena dhammavinayena) procul stulti illi viri ab hac legis disciplina.

in constructione cum voce antika aliisque ejusdem significationis: antikâ gâmâ, antikaṃ gâmaṃ, antikena gâmena prope vicum [1]) etc.

in spatii atque temporis mensura: ito madhurâya catûsu yojanesu saṅkassanagaram atthi ab hac urbe Madhura quattuor yojana distat urbs Saṅkassa. ito bhikkave ekanavutikappe . . . abhinc nonaginta kalpas et unum, o mendicantes . . .

cum gerundium supplendum est atque de loco actionis agitur. Patet ex Pâṇ. II, 3, 28 Vârtt. intelligi hoc loco exempla veluti prâsâdât prekshate despectat de palatio, i. e. postquam palatium ascendit; sed quid significet potentialis saṃkameyya non satis liquet. Exemplum autem âsanâ vuṭṭhaheyya, e sella surgat, injuria hic allatum videtur, cum in eo a sella revera fit separatio.

ad denotandum terminum a quo: avîcito upari bhavatam antare in intervallo inter Tartarum et superos. puratthimato ab oriente, dakkhiṇato a meridie etc. uddhaṃ pâdatalâ adho kesamatthakâ i. e. ab imis unguibus usque ad verticem summum.

---

[1]) In hisce exemplis aeque ac in dûraṃ gâmaṃ, dûrena gâmena — si omnino haec recte se habent — insolentior quaedam attractionis forma statuenda esse videtur, quamvis a grammaticis sanskritis constructio dûrâd grâmât repudietur Pâṇ. II, 3, 35 Vârtt.

in constructione comparativa: yato paṇitataro visiṭṭhataro va n'atthi quo nemo est laudabilior neque praestantior (sed etiam genetivus: channavutînaṃ pâsaṇḍânaṃ dhammânaṃ pavaraṃ nonaginta sex haereticis doctrinis praestantior).

in constructione cum vocabulo ârâ aliisque ejusdem significationis: gâmadhammâ vasaladhammâ asaddhammâ ârati virati pativirati a vita conjugali, a vita prava, a mala doctrina extrema continentia.

in constructione cum vocabulo suddha: lobhanîyehi dhammehi suddho purus a concupiscentia.

in constructione cum verbis liberandi: mutto 'si mârabandhanâ Mârae vinculis liberatus es.

in constructione causali: kasmâ nu tumhe daharâ na miyyatha qua de causa vos pueri non morimini.

in constructione cum voce vivitta aliisque ejusdem significationis: vivicc'eva kâmehi continens a libidinibus.

ad modum mensurae denotandum: dîghaso navavidatthiyo sugatavidatthiyâ pamâṇikâ kâretabbâ sugatasaṃghâṭî, majjhimassa purisassa aḍḍhatelasahatthâ „Bene versantis" pallium conficiendum est novem spithamas, „Bene versantis" spithama metiendas longum, i. e. modici hominis palmos duodecim et dimidium. — Apparet in hoc exemplo sugatavidatthiyâ (atque etiam dîghaso) ablativos esse existimandos.

in constructione cum voce pubba: pubbe va sambodhâ i. e. summam intelligentiam nondum adeptus.

in constructione cum radice bandh: satasmâ (vel satena) bandho naro ob centum nummos (quos mutuatus est) vir in vincula conjectus est.

ad denotandam virtutem (qua quid adipiscuntur etc.): paññâya sugatiṃ yanti sapientia felicitatem adipiscuntur.

in constructione cum verbis quaerendi et disserendi: abhidhammâ (abhidhammaṃ, abhidhammena) pucchanti, i. e. postquam metaphysicam audiverunt, quaestionum materiam petunt e metaphysica. vinayâ (vina-

yaṃ, vinayena) kathayanti disserendi materiam petunt e disciplina etc.

in vocabulo thoka aliisque ejusdem significationis: thokâ (thokaṃ, thokena) muccati vix liberatur etc.

agente non indicato, i. e. causa vocabulo abstracto denotata: katattâ, sermone vernaculo „wegen des gethan seins“.

6. Cui dare velis, cui quid placet, cui quid praebetur, in his traditio (sampadâna) statuenda est: samaṇassa[1]) cîvaraṃ dadâti samanaeo dat pallium etc.

7. Varia enumerantur sampadânae exempla:

in constructione cum radice silâgh: buddhassa silâghate Buddhae blanditur.

in constructione cum radice hanu: hanute tuyham eva a te quidem celat se.

in constructione cum radice ṭhâ: bhikkhussa bhuñjamânassa pâniyena vâ vidhûpanena vâ upatiṭṭheyya mendicantem cenantem aqua vel suffimentis colat.

in constructione cum radice sap: mayhaṃ sapate mihi jurejurando confirmat.

in constructione cum radice dhar: suvaṇṇaṃ te dhârayate aurum tibi debet.

in constructione cum radice pih: buddhassa aññatiṭṭhiyâ pihayanti Buddhae invident alii haeretici.

in constructione cum radicibus kudh, duh, iss, usuyy: duhayati disânaṃ megho infensa est coeli plagis nubes. titthiyâ samaṇânaṃ issayanti haeretici samanaeis invident etc.

in constructione cum radicibus râdh et ikkh[2]): ârâdho me (vel maṃ) râjâ propitius mihi rex etc.

in constructione cum verbis patisuṇâmi atque âsu-

---

[1]) Monendum videtur linguam Pâlicam plerumque genitivo uti dativi loco.

[2]) Verbis yassa akathitassa puna vipucchanaṃ kammavikhyâpanatthañ ca (ad verbum: cujus non memorati rursus [est] interrogatio atque sensus actionis illustrandae) significatum esse videtur, quod nos dicimus „entfernteres objekt“, vel notio ad complendam sententiam necessario desiderata.

ṇâmi, anugiṇâmi atque patigiṇâmi, ut antecedentis actionis actorem significet veluti: Buddha ad mendicantes haec loquitur, tum Buddhae auscultant mendicantes: âsuṇanti buddhassa etc. [1]).

in constructione cum verbis nuntiandi: ârocayâmi vo bhikkhave annuntio vobis, o mendicantes etc.

denotantis notionem rei propositae atque notionem infinitivi: onassa paripuriyâya ad manca supplenda. bhikkhûnaṃ phâsuvihârâya ad mendicantium commoditatem etc. Manifestum est has duas notiones a commentatore non satis esse distinctas.

in constructione cum voce alaṃ: alaṃ me buddho sufficit mihi Buddha. alaṃ bhikkhupattassa mendicantis patellae sufficiens. Sed alaṃ me hiraññasuvaṇṇena apage a me aurum.

in constructione cum radice man ad contemptum denotandum in vocabulis inanimati aliquid significantibus: kaṭṭhassa vel kaliṅgarassa tuvaṃ mañña i. e. flocci te facio. Sed suvaṇṇaṃ taṃ maññe aurum illud existimo, gadrabhaṃ tuvaṃ maññe asinum te existimo.

in constructione cum verbis eundi ad denotandum terminum in quem: gâmassa (vel gâmaṃ) pâdena gato pedibus vicum agressus etc.

in constructione cum vocabulis salutationem significantibus: bhaddaṃ bhavato hotu salus sit domino etc.

in constructione cum vocabulo sammati, permissio, aliisque ejusdem significationis: aññatra saṃghasammatiyâ bhikkhussa vippavutthaṃ na vaṭṭati mendicanti non licet esse absenti nisi cleri permissione adepto etc.

in constructione cum vocabulo bhiyyo, skr. bhûyas.

---

[1]) kathitakammaṃ atque akathitakammaṃ e systemate Pâṇineo illustranda. Pâṇinis enim, postquam regulis I, 4, 49. 50 duo genera objecti statuit (kartur îpsitatamaṃ karma atque tathâyuktaṃ cânîpsitaṃ), in regula 51 dicit: akathitaṃ ca, i. e. objectum etiam vocatur quod in regulis antecedentibus (24—48), apâdânaṃ etc. tractantibus, non expositum est; cujus regulae exemplum etiam praebet accusativus personae apud verba dicendi etc., quae cum duplici accusativo construuntur.

ad denotandam locativi notionem: tassa me sakko pâtur ahosi mihi quidem Sakka in conspectum venit etc.

Hisce exemplis a Vimalabuddhe etiam additur, varium praeterea esse sampadânae usum in hac regula indicatum vocibus attha atque ca positis; et quidem sârattha (i. e. sensus praecipuus) significare videtur notionem ad complendam sententiam necessario desideratam, nam phâsu in tassa phâsu, illi commodum, eorum est adjectivorum quae relativa dicuntur atque simile statuendum est de ceteris exemplis.

8. Quod actionis quasi receptaculum est id okâsa (= skr. avakâça locus, spatium) vocatur. Illius autem receptaculi quattuor genera statuit commentator, quorum nomina etiam apud grammaticos Sanskritos inveniuntur (Böhtlingk Pâṇini II, 69): byâpika skr. abhivyâpaka (apud Patañjalem vyâpaka Goldstücker s. v. abhivyâpaka) Wilso s. v. adhikaraṇa „integral existence", Laghukaumudî Mirzapore 1849 p. 360 „co-extensive", Lex. Petrop. „vollständig in sich aufnehmend": tilesu telaṃ in sesamo oleum; upasilesika skr. aupaçleshika Wilso „inclusion", Laghukaum. „actually contiguous", Lex. Petrop. „mit unmittelbarer berührung verbunden": pariyañke râjâ seti in lectica sedet rex; vesayika skr. vaishayika Wilso „end or object", Laghukaum. „figuratively objective": âkâse sakuṇâ yanti (cf. khe çakunayaḥ in Kaiyyaṭae commentario ad Patañjalem, Goldstücker l. c.) in aëre volant aves; sâmîpika Wilso „proximity": gañgâyaṃ ghoso vicus prope Gangem.

9. Quo agitur vel quo conspicitur vel quo auditur etc. id instrumentum vocatur: dâtena lunâti falce scindit etc.

10. Quod agitur vel quod conspicitur vel quod auditur etc. id objectum vocatur: rathaṃ karoti currum fabricatur, kaṇṭakaṃ maddati hostem conterit etc.

11. Qui agit is agens vocatur: ahinâ daṭṭho naro ab angue morsus est vir.

12. Qui agentem impellit is causa simul atque agens vocatur: so puriso taṃ purisaṃ (tena purisena,

tassa purisassa) kammaṃ kâreti, vernaculo sermone: dieser mann läſst jenen mann eine that thun, dieser mann läſst von jenem mann eine that thun, dieser mann veranlaſst die that jenes mannes[1]).

13. Cujus possessio est, is dominus vocatur: tassa bhikkhuno patto hujus mendicantis patella.

14. Hanc regulam me non intelligere libere confiteor; ubhayamhi sampatte in mentem revocat ubhayaprâptau Pâṇ. II, 3, 66, sed ibi de notione agitur ab hac regula manifeste aliena.

15. Primus casus adhibetur, si solius thematis notio indicata est: puriso vir etc., tum 16. cum thematis notio vocativa tantum notione adaucta est. Exemplis ad regulam 15 allatis nec non explicatione commentatoris ad regulam 16 luculenter apparet, vocem liṅga hoc loco minime prae se ferre notionem generis grammatici ut apud Pâṇinem in regula respondente 2, 3, 46. Sed etiam Vibhattyatthapakaraṇa 6 (in Subhûtis editione vocabularii Abhidhânappadîpikâ, app. p. IX) hujus „liṅgae" exempla leguntur: buddho dasabalo ty-âdi i. e. exordium Abhidhânappadîpikae; tum apud Kaccâyanam ipsum regulae inveniuntur hae: Nâmak. 1, 1 jinavacanayuttamhi. 2. liṅgañ ca nipaccate. 3. tato ca vibhattiyo, unde satis patet thema nominale (apud Pâṇinem prâtipadikam) cui terminationes flexivae adjunguntur hoc ipso nomine liṅga significari; simul autem notio numeri grammatici, a puri thematis notione vix satis diversa, eodem nomine comprehensa esse videtur, cum exempla afferantur purisâ viri etc. De relatione qua particulae ca etc. cum regula 15 conjunguntur videas Böhtlingkii annotationem ad Pâṇ. II, 3, 46.

Instrumentalis casus ponitur:

17. ut instrumentum significet: agginâ kuṭiṃ jhâpeti igne casam comburit.

18. in constructione cum vocabulo saha aliisque ejusdem significationis: sahâgatena saṃgho uposathaṃ

---

[1]) Regula ad quam a Vimalabuddhe delegamur legitur Akkhy. II, 7 apud d'Alwisium p. 16.

kareyya cum aggresso clerus caerimoniam uposatha celebret etc.

19. ut agentem significet: raññâ hato poso a rege vir necatus est.

20. ut causam significet: kena hetunâ vasati qua de causa vivit.

21. notione fungens locativi: tena samayena illo tempore.

22. „cum ob morbum in membro membris praediti vitium aliquod conspicitur“: akkhinâ kâṇo altero lumine orbus etc.

23. ut significet qualitatem quae alicui propria est: gotamo suvaṇṇena abhirûpo Gotama auro pulcher.

Dativus casus ponitur:

24. ut traditionem significet: buddhassa dânaṃ deti Buddhae donum dat.

25. in constructione cum vocabulo namo aliisque ejusdem significationis: namo te buddhavîr' atthu veneratio tibi sit Buddhavîra.

Ablativus casus ponitur:

26. ut demptionem significet: pâpâ cittaṃ nivâraye a malo cogitationem retineat.

27. ut causam significet: catunnaṃ ariyasaccânaṃ yathâbhûtaṃ-adassanâ quattuor veritatum venerabilium naturae inscientiâ.

Accusativus casus ponitur:

28. ut objectum significet: kaṭaṃ karoti mattam fabricatur.

29. ut temporis et spatii continuationem significet: mâsam adhîte per mensem in studia incumbit etc.

30. in constructione cum praepositionibus: taṃ kho pana bhagavantaṃ gotamaṃ evaṃ kalyâṇo kittisaddo abbhuggato ad illum quoque divinum Gotamam pulchra atque gloriosa fama pervenit. pabbajitam anu pabbajiṃsu clericorum ordinem amplexi sunt. In hisce exemplis anu inter kammappavacanîya collocatur notione vocabuli creberrima qua praepositionem significat a verbo separatam, abhi autem in participio abbhuggato simili-

ter kammappavacanîya nomen accepisse videtur atque adhi et pari apud Pâṇ. I, 4, 93.

31. in constructione cum causativis radicum eundi atque cognoscendi, radicum bhuj paṭh har kar sî etc. (i. e. secundum commentatoris annotationem: cum quovis causativo): puriso purisaṃ gâmaṃ gâmayati vir virum in vicum mittit etc.

32. Genetivus casus ponitur, ut dominum significet: tassa bhikkhuno sukhaṃ illius mendicantis felicitas.

33. Locativus casus ponitur, ut locum significet: pâpasmiṃ ramati mano in malo delectatur mens. bhagavati brahmacariyaṃ vasati kulaputto apud divinum illum institutionis tempus degit puer nobilis.

Genetivus vel locativus casus ponitur:

34. in constructione cum vocibus sâmi issara adhipati dâyâda sakkhi patibhû pasutta kusala: goṇânam (goṇesu) sâmî boum dominus etc.

35. in constructione superlativa: kaṇhâ gâvînaṃ (gâvîsu) sampannakkhîratamâ vaccarum nigra lacte maxime abundans. sâmâ nârînaṃ (nârîsu) dassanîyatamâ fusca feminarum pulcherrima.

36. ut despicientiam significet: rudato dârakassa (rudantasmiṃ dârake) pabbaji filio flente, i. e. haud curans filium flentem, clericorum ordinem amplexus est.

Interdum accusativus casus ponitur:

37. notione fungens sextorum casuum, i. e. sexti atque septimi, genetivi atque locativi: api 'ssu maṃ aggivessânatisso upamâyo patibhaṃsu mihine Aggivessânatissa atque Upamâya in conspectum venerunt? Verbum pati-bhâ etiam in sanskrita lingua cum accusativo vel genetivo construitur; scholiasta igitur exemplum accusativi tantum genetivi notione fungentis attulit. Ceterum plane supervacaneum fuit locativi notionem plurali chatthînaṃ posito hac regula comprehendi, cum accusativus locativi notione fungens in sequente regula iterum tractetur.

38. instrumentalis atque locativi notione fungens: sace maṃ samaṇo gotamo nâlapissati tvañ ca maṃ nâbhibhâsasi cum me Gotama Samanaeus non alloque-

tur, tu quoque me non alloqueris (i. e. cum non colloquitur mecum etc.). ekaṃ samayaṃ bhagavâ tempore quodam divinus ille....

Interdum genetivus casus ponitur:

39. instrumentalis atque locativi notione fungens: katam me kalyâṇam bonum a me factum est, kusalâ naccagîtassa saltandi atque canendi peritae; sed etiam: desito ânanda mayâ dhammo lex o Ânanda, a me monstrata est etc.

40. accusativi atque ablativi notione fungens sahasâkammassa kattâro arbitrarii facinoris auctores, i. e. qui arbitrarium facinus perpetrant. sabbe tasanti daṇḍassa, sabbe bhâyanti maccuno omnes tremunt baculum, omnes timent mortem.

Locativus casus etiam ponitur:

41. ut objectum significet: bhikkhûsu abhivâdenti mendicantes (acc.) salutant; ut instrumentum significet: hatthesu (pattesu) piṇḍâya caranti ambulant, ut manibus (patellis) victum accipiant; ut causam significet: kuñjaro dantesu haññate elephas ob dentes necatur.

42. ut traditionem significet: saṃghe dinnaṃ mahapphalaṃ clero quod datur magno est fructui.

43. ablativi notione fungens: ucchûsu nivârayanti gâvo a puteis boves arcent.

44. ut tempus significet: pubbaṇhasamaye gato sâyaṇhasamaye âgato mane egressus tempore pomeridiano reversus, atque in constructione locativi absoluti: gosu duyhamânesu gato duddhâsu âgato vaccae dum mulgentur egressus, vaccis mulctis reversus.

45. in constructione cum praepositionibus upa atque adhi, ut inferiorem vel superiorem significet: upa khâriyaṃ doṇo i. e. kharî droṇam superat. adhi devesu buddho Buddha diis superior. De exemplo adhi brahmadatte pañcâlâ videas Lex. Petrop. s. v. adhi, I, 143.

46. Instrumentalis vel locativus casus ponitur in constructione cum vocabulis maṇḍita exhilaratus, gaudens atque ussuka sollicitus aliisque ejusdem significationis: ñâṇena (ñâṇasmiṃ) pasîdito sapientia gaudens etc.

Summa libri de casuum constructione explicata restat, ut disputem de Kaccâyanae operis origine ac ratione et inprimis de tertii hujus libri compositione atque cum grammaticis sanskritis connexu.

Buddhae ipsius discipulum grammaticam scripsisse qui existimant vix digni sunt qui refellantur. Nam — ut taceam de quaestione difficillima, num Pâlica lingua qualis in sacra Buddhistarum meridionalium literatura servata est revera fuerit vernacula regni Magadhensis dialectus (nam Lassenius Ind. Alt. II, 488 sq. atque Westergaardius über den ältesten Zeitr. d. Ind. Gesch. p. 87 regioni Indiae occidentali eam attribuendam esse majore ut videtur jure contenderunt) — plane incredibile est grammaticam linguae sacrae exstitisse, antequam esset canon librorum sacrorum, antequam Aricarum in India gentium fines Buddhae doctrina esset transgressa. Literaturam sacram fuisse necesse est, quales in India tum res erant, antequam grammatica linguae sacrae posset componi. Oritur autem disceptatio, utrum grammaticae hujus auctor idem fuerit ac Kâtyâyana „vârttikorum“ ad regulas Pâṇineas compositor, an idem ac Kâtyâyana Vararuci grammaticae prâkriticae cui Prâkṛtaprakâça nomen est auctor clarissimus. Atque illud quidem Lassenius (l. c. p. 481 sqq.), hoc Cowellius (in editione Prâkṛtaprakâçae praef. p. VII) contendit. Cowellii opinionem optime refellerunt Weberus (Zeitschrift d. deutsch. morgenl. Gesellsch. VIII, 854 sq.) et d'Alwisius p. XXXVII sqq. Primum enim Vararuci illi re vera Kâtyâyana nomen fuisse minime satis demonstratum est (cf. etiam Westergaardium l. c. p. 86), tum Vararucis atque Kaccâyanae ratio in rerum grammaticarum expositione toto coelo est diversa, ita ut ab uno eodemque viro utrumque opus scriptum esse non possit. Vararucis enim linguae sanskritae fundamento usus ex hoc prâkriticarum dialectorum proprietates derivat, Kaccâyana autem Sanskrita lingua plane neglecta Pâlicam ex ipsa Pâlica explicat. Postremum vero argumentum majoris etiam momenti est contra Lassenii opinionem. Si enim Kâtyâyana, subtilissimus vârttikorum scriptor, quamquam — ut vult Lassenius — Buddhae doctrinae addictus,

in grammatica de sacra Brahmanorum lingua studia incumbere non repudiavit, non est cur in grammatica Pâlica componenda Sanskritae linguae fundamentum rejecerit, qua re incurrisse eum in summas difficultates et prorsus quasi in divitiarum interdum jacturam (cf. quod Weberus dixit l. c. XIX, 656: allgemeine Banquerottserklärung) quis est qui miretur. Accedit (ut unum tantum exemplum proferam e libro tertio petitum), quod regula Kârakak. 22 yenâñgavikâro e Pâṇ. II, 3, 20 yenâñgavikâraḥ in Kaccâyanae opus recepta est ipso illo vocabulo añga servato, cujus usum Kâtyâyana (apud Böhtlingk Pâṇ. II, 93) in annotatione ad regulam Pâṇineam reprehenderat. Quare Westergaardium l. c. recte contendisse opinor Palicae grammaticae auctorem neque cum Kâtyâyana Pâṇinis commentatore neque cum Kâtyâyana Vararuce confundendum esse.

Arctissima est ut jam dixi hujus operis cum schola Pâṇinea cognatio, hoc etiam in tertio libro manifeste apparet. Incipit enim hic liber eodem modo ac kârakorum in opere Pâṇineo expositio a kârakis apâdâna atque sampadâna. Et quidem Kacc. 1 yasmâd apeti bhayam adatte vâ etc. eundem ordinem praebet ac Pâṇ. I, 4, 24 dhruvam apâye apâdânam et 25 bhîtrârthânâm bhayahetuḥ. Sequitur in commentario ad Kacc. 2 constructio verbi parâ-ji cum ablativo ut apud Pâṇ. I, 4, 26 parâjer asoḍhaḥ; etiam kârakamajjhe idem est illius constructionis nomen a Kâtyâyana reprehensum ac Pâṇ. II, 3, 7 kârakamadhye. Kacc. 3 rakkhanatthânam icchitaṃ et 4 yena vâdassanaṃ eundem praebent ordinem ac Pâṇ. I, 4, 27 vâraṇârthanam îpsitaḥ et 28 antardhau yenâdarçanam icchati Kacc. 5 -addhakâlanimmânatvâlopa- atque -paṇhakathana- arcte cohaerent cum vârttikis ad Pâṇ. II, 3, 28 (Böhtlingk Pâṇ. II, 94)[1], -disâyoga- atque -ârappayoga sequenti regulae Pân. II, 3, 29 respondent, -vibhatta- autem apud Pâṇ. II, 3, 42 longius distat; vocum -bandhanaguṇavacana- idem est ordo ac regularum respondentium Pâṇ. II, 3, 24 akartary ṛiṇe et 25

[1]) Cf. etiam quae supra de tvâlopa disputata sunt.

vibhâshâ guṇe s striyâm[1]); exemplorum in commentario ad hanc regulam allatorum thokâ muccati, appamattakâ muccati, kicchakâ muccati idem est ordo ac vocum stokâlpakṛicchra- Pâṇ. II, 3, 33; etiam regulae de dûra et antika apud Pâṇ. II, 2, 3, 34 et 35 haud multum distant. Kacc. 7 usque ad vocem -pubbakattâ- eodem ordine respondent Pâṇ. I, 4, 34—41 (cum vipraçnaḥ Pâṇ. I, 4, 39 consentit etiam vipucchanaṃ in commentario ad hanc regulam Kacc. 7). -tumatthâlamatthamaññanâdarappaṇini eundem ordinem praebent ac regulae respondentes Pâṇ. II, 3, 15 tumarthâc ca bhâvavacanât, 16 namaḥ — svadhâlaṃvashaḍyogâc ca, 17 manyakarmaṇy anâdare vibhâshâprâṇishu; quae autem regulae vocibus gatyatthânaṃ kammaṇi atque asiṃsattha- respondent apud Pâṇ. II, 3, 12 et 73 satis longo intervallo disjunctae sunt (cf. tamen vârtt. ad II, 3, 16). Karaṇa Pâṇ. I, 4, 42 et adhikaraṇa Pâṇ. I, 4, 45 (apud Kacc. okâsa) apud Kaccâyanam locum mutarunt, sed apud utrumque eodem ordine sequuntur karman kartar hetu, quibus a Kaccâyana additur sâmi (= skr. svâmin dominus), nomen possessivae relationis quod etiam in schol. ad Pâṇ. II, 3, 50 aperte indicatum est. Kacc. 15 liṅgatthe pathamâ et 16 âlapane ca eundem sequuntur ordinem ac Pâṇ. II, 3, 46 prâtipadikârthaliṅga — mâtre prathamâ et 47 sambodhane ca. Paululum differt ordo Kacc. 17 karaṇe tatiyâ. 18. sahâdiyoge ca. 19. kattari ca. 20. hetvatthe ca a Pâṇinea II, 3, 18 kartṛikaraṇayos tṛitîyâ. 19. sahâyukte s pradhâne. 23. hetau; Kacc. 22 autem: yenâṅgavikâro[2]) et 23 visesane ca[3]) eodem ordine utuntur ac Pâṇ. II, 3, 20 yenâṅgavikâraḥ et 21 itthambhûtalakshaṇe. Kacc. 26

---

[1]) Exempla quae in commentario de guṇavacana afferuntur virtutes tantum praebent, cum apud Pâṇinim de qualitate in universum agatur. Notandum etiam est haec exempla omnia esse feminina, quarum usus a Pâṇine interdicitur; Pâlici igitur operis auctores striyâṃ pro s striyâṃ legisse videntur. Câgâya autem haud recte se habere potest, cum vocabulum câga masculinum sit (cf. Abhidhân. v. 1129). Ceterum paññâya instrumentalem habere malim quam ablativum.

[2]) Cum explicatione commentarii: yena byâdhimattâ aṅgena aṅgino vikâro lakkhiyate etc. conferatur schol. ad Pâṇ. II, 3, 20 yenâṅgena vikṛitenâṅgino vikâro lakshyate etc.

[3]) cf. viçishṭa in annotatione ad Pâṇ. II, 3, 21: Siddh. kaum. Calc. 1863, I p. 273 (Böhtl. Pâṇ. II, 94).

apâdâne pañcamî ad verbum consentit cum Pâṇ. II, 3, 28. Kacc. 28 kammatthe dutiyâ. 29. kâladdhânam accantasaṃyoge. 30. kammappavacanîyayutte simili ordine sequuntur ac Pâṇ. II, 3, 2 karmaṇi dvitîya. 5 kâladhvanor atyantasaṃyoge. 8. karmapravacanîyayukte dvitîya; et Kacc. 31 e Pâṇineis I, 4, 52 et 53 contractum est sicut Kacc. 34 sâmissarâdhipatidâyâdasakkhipatibhûprasuttakusalehi ca e Pâṇ. II, 3, 39 svâmîçvarâdhipatidâyâdasâkshipatibhûprasûtaiç ca et 40. Apud utrumque sequitur Kacc. 35 niddhâraṇe ca, Pâṇ. 41 yataç ca nirdhâraṇam; sed anâdare ca Kacc. 36 apud Pâṇinim priore loco legitur 2, 3, 38 shashṭî cânâdare. Denique conferenda sunt Kacc. 45 upâdhyâdhikissaravacanesu ca cum Pâṇ. 2, 3, 9 yasmâd adhikaṃ yasya ceçvaravacanaṃ atque regula 41 cum vârtt. ad Pâṇ. II, 3, 36.

Mirum non est d'Alwisium p. XLI tali consensu ad sententiam commotum esse, Kaccâyanae ipsum Pâṇinem in operis compositione ante oculos fuisse. Tamen hunc consensum etiam alio modo explicari posse ipse concedit. Et profecto ab ipso quodam linguae Pâlicae grammatico, auctorem dico grammaticae Mahâsaddanîti, apud d'Alwisium p. XL ad scholam Kâtantricam delegamur, terminos enim quibus usus sit Kaccâyana esse „in accordance with Sanskrit grammars such as the Kâtantra". RecteWeberus in censura libri d'Alwisiani p. 654 observavit injuria d'Alwisium hanc mentionem repudiasse: „Für uns kann diese gelegentliche Angabe eines schol. nur als unverfänglich und unverdächtig erscheinen, und ob wir sie natürlich nicht sofort als baare Münze zu nehmen brauchen, so müssen wir sie doch jedenfalls zunächst als einen willkommenen Anhalt für künftige weitere Forschungen bezeichnen".

Et quidem hanc opinionem a veritate non plane alienam esse jam e paucis illis fragmentis quae e Kâtantricorum doctrina Theodorus Aufrecht in Catalogo codicum Sanscriticorum biblioth. Bodl. no. 374 publici juris fecit luculenter apparet. Nam cum utriusque operis exordia (d'Alwis p. XVII. Weber l. c. p. 657. — Aufrecht p. 168b)

similitudinem quandam prae se ferunt, tum quae singulorum librorum initio leguntur regulae hae:

Kât. Aufr. p. 169a. Samâs. 1. nâmnâṃ samâso yuktârthaḥ.
Samâs. 2. taststhâ lopyâ vibaktayaḥ.
Taddh. 1. vâṇṇ apatye.
Âkhy. 1. atha parasmaipadâni.
Âkhy. 2. nava parâṇy âtmanepade.
Âkhy. 3. trîṇi trîṇi prathamamadhyamottamâḥ.

Kacc. Samâs. 1. nâmânaṃ samâso yuttattho.
Samâs. 2. tesaṃ vibhattiyo lopâ ca.
Taddh. 1. vâṇ apacce.
Akkhy. 1. atha pubbâni vibhattînaṃ cha parassapadâni.
Akkhy. 2. parâṇy attanopadâni.
Akkhy. 3. dve dve pathamamajjhimuttamapurisâ.

